

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

**§. XVII.**

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](#)

miamā, nec vñquam sine summa reverentia eo  
vtendum; sic haud impunem sinit supremus  
iudex, verbi euangelii abusum atque profana-  
tionem. Typicum illud odoramentum, ceu  
nubes, propitiatorium tegebat. Hoc sine vlla  
intermissione in conspectu Dei Patris versatur,  
Christum vsquequaque circumdans, hunc effe-  
ctum secum ferens, quod Patris gloria, quae  
est in Iesu Christo, in toto orbe reuelatur. Hunc  
in finem Paulus illud appellat Φωτισμὸν, illu-  
minationem euangelii, gloriae Christi, qui est ima-  
go Dei, II. Cor. IV. 4.

§. XVII. Vnguenti sacri, quo sacerdo-  
tes initabantur, & vasa sacra consecrabantur,  
recensio, eadem institui potest ratione; quippe  
quod ex praestantissimis confectum aromati-  
bus, fragrantissimum omnino edebat odorem.  
Hoc Moses itidem confidere iussus est, ad vsum  
tantummodo sacram, vt nemo arcam foederis  
attингere auderet, nisi hoc inunctus fuisset vnu-  
guento. Sua autem sponte reliqua ex antece-  
denti tractatione profluunt, neque his tempus  
terere necessum erit. Addere praeterea pos-  
sem sacrificiorum aliorum typicam recensio-  
nem, corundemque applicationem, huc egre-  
gie

gie spectantium, imprimis eorum, quae §. VI.  
iam perlustrauit, utpote de quibus evaditæ odor  
suavitatis praedicatur; sed quoniam facilis  
nunc erit secundum antea dicta collatio, & ne  
iusto diutius huic inhaeream argumento, his  
supercedere hac vice licebit. Vt autem sa-  
crificiorum accensiones odore nunquam care-  
bant, ita & euangelii de Christo diuulgatio;  
non potest non Christi bonam semper sparge-  
re famam.

§. XVIII. Varia dantur in sacra scriptu-  
ra symbola, quibus euangelii vox a Spiritu san-  
cto exprimitur, varia schemata, quibus com-  
paratur ad diuersam eius indicandam virtutem.  
Nunc enim Spiritus sanctus illud appellauit  
cibum, vel lac, *I. Petr. II. 2. Ebr. V. 12.* nunc  
semen viuum *I. Petr. I. 23.* nunc vinum re-  
cens *Matth. IX. 17.* nunc pluuiam gratiostam  
*Psalm. LXVIII. 10.* nunc margaritam, nunc  
florem. Estque id ipsum quidem medium ad  
salutem; hanc vero ut consequamur varie ad-  
modum in nobis operatur. Namque & illumi-  
& conuertit, & in fide confirmat, conseruat  
& sanctificat, desperabundos consolatur, & eri-  
git, errantes castigat & emendat.

D 2

§. XIX.